

num cogitaverit. Si homini fatebitur peccatum suum, ne in mortem cadat Angelum prohibiturum. Hunc ipsum Angelum stricto gladio severientem in populum suum, desideratis parvo temporis spatio 70000. virorum, David spectaverat (o); & Job impios concitatos in suam necem Angelos exterminatores denunciat (p). Psalmus 34. 5. 6. de persecutoribus suis, ait: Angelus Domini coarctans eos. Salomon in Proverbiis 17. 11. habet; Semper jurgia quarit malus; Angelus autem crudelis mittetur contra eum. Eodem Angelo crudeli, Angelo necis, perimente occisi sunt priores illi Sarae filiae Raguelis coniuges, quos in primo ad thalamum ingressu necabat (q). Hunc deinde Angelum Asmodæum in deserto, Aegypti relegatum vinculis alligavit Angelus Raphael (r); sonat enim Asmodæus, vastator, exterminator. Hæc de Angelis mortis vetus Judæorum sententia.

Manet ea pariter apud Hebræos persuasio; namque assidere credunt ad caput lecti, cum fortè vir aliquis ad obitum decubuerit, Sathanam sive Angelum mortis gladium evaginatum stringentem; è cuius extremitate tres guttæ fellis dependeant (s). Vix eo viso Angelo, ægrotus ingenti horrore correptus os ducit; statimque promptus Sathanas tres lethales guttas immittit, è quibus una miserum extinguit, altera atrum illum colorem affundit, tertia tandem aptam inducit dispositionem, ut statim in pulverem redigatur. Statim ac animam hausto felle æger efflaverit, Angelus malus nihil habet antiquius, quam ut aqua fortè in ædibus occurrente, lethalem gladium eluat. Hinc virus ab aquis contrahitur, statim proinde, nè cui noceant, in subiectam viam dissipandis. Hæc apud omnes latè Judæos recepta tenentur. Addunt insuper Judæi, canes aspectu ejusdem Angeli mortis horrendum latrare; quare si fortè audiri canes latrantes circa ædes ægroti contigerit, malo id omni vertitur (t).

Docent etiam, hunc exterminatorem Angelum nihil in Judæorum gentem posse (u); cum enim, inquam, pravus Spiritus cum Deo quereretur, frustra se in mundo esse, Ego, respondit, Deus, te creavi, quò potentiam tuam in cæteros homines, solis exceptis è radice Israel gentibus, exceres. Factum indè, ut principis Mundi nomine donaretur. Eorum tamen confessione scitum est, privilegium illud solis Hebræis manere, quos fortè in regione Israel obire contigerit. Illos enim occidit gadius acutus, & bene limatus; cæteros extra eam regionem maculat gladius Sammaelis contractus & obtusus. Manet etiam defunctis secunda alia mors in sepulchro, quò Angelo deducente anima venire cogitur, unà cum corpore iudicium subitura. Ea de causa, inquam, cavet Josephus (x), ne in Aegypto terrâ impurâ, ubi secunda illum mors mansisset, sepeliretur.

Non abluunt ab hisce Judæorum opinionibus Platonici (y), qui in ea fuisse sententia videntur, Angelum illum, quo

adstante, homo, dum viveret, usus est; ejus animam post obitum ad iudicii locum deducere. Hunc Angelum animas è corpore separantem, ac deinde evocantem appellat Tertullianus de Anim. cap. 53. Evocantem animarum. At probine an mali Angeli munus est? Mali autem plerique Patres, & Interpretes, adjecto omnium Rabbiorum consensu; neque enim invidiosum munus alii quàm maligni spiritus sustinissent; sed negociosa tamen ea res est. Nemo sanè dubitat, potuisse Deum potentiam & ultionem suam per bonos Angelos administrare exercere. Ita referente Moyse Exod. 17. 4. & 12. 12. 23. legimus Dominum per gdes Aegyptiorum discurrentem omnes majores natu ejusdem gentis interfecisse, quod à verbo Dei, è scabello pedum Domini descendente, executioni mandatum dicitur Author Sapientie cap. 18. 14. 15. Exhibet autem Verbum illud veluti militem, armis nullâ juncturâ colligatis munitum, qui in mediam regionem saltu descendens, acutumque, & bene limatum gladium, tenens omnia cædibus & sanguine repleverit. Statura autem viri, addit, immanis est adè, ut terram pedibus, cervice nubes teneat. Ita planè exterminatorem Angelum concipiebant, Angelum, inquam, quem ad ultionem de exercitu Sennacherib capientem Dominus miserat.

Cùm Scriptura de cæde exercitus Sennacherib nos instruit, non ita tamen accipienda est, quasi unius mortis genus, sed potius omnia simul, quibus homines subiecti sumus, designet. Sive enim, perimi gentem contigerit peste, morbo, gladio, unus est Angelus mortis, qui gladium suum exeruit. Vel Assyrii in mutuum cædem intempeste noctis horrore severint, sive tonitru, fragore, & concussione spiritus intercluderentur; sive igne cœlitus dilapso, sive fulgure, sive immisissis intimis ulceribus interierint, sive è saxis precipites se dedissent; unus est Angelus mortis varias inferens cædes. Ita omnia Scripturæ loca, ubi de hac re fermo, & variæ ac in speciem repugnantes Commentatorum opiniones conciliantur.

Sola Rabbiorum opinio cum Scriptura minus constare posse nobis videtur. Quodd enim Assyriorum corpora ita in cinerem favillasque redacta sint, ut intactæ vestes manerent; quas deinde vestes colligentes Hebræi, excusso pulvere integram sibi illarum prædam habuerint; id planè laudatis supra Scripturæ testimoniis repugnare arbitror. Ut quid autem prodigia sine necessitate multiplicentur? Non obscurè Isaias ingentem vestium prædam, utpote atro interfectorum cruore foedatam, & vulneribus laceratam nonnisi ignis pabulum futuram prædicit. Nec minùs disertè narrat panicum illum terrorem, quo subito turbati Assyrii cæcis invicem vulneribus sese confecerunt. Tandem fulmen & ignis è Cœlo dilapsus ac tonitrua valent quidem sine externo aliquo vulneris indicio homines perimere; non tamen juxta DD. Hebræorum sententiam in cineres favillasque redigere.

8 2. Reg. 24. 16. & 1. Par. 31. 30. P Job 36. 14.

9 Tob. 3. 8.

10 Tob. 8. 3.

11 Buxtorf. Synag. cap. 35. 242. 507.

12 Vide Henric. Bromel. Differt. de Angel. exter. u Ligfoot. Hor. Hebr. in Jo. 12. 31.

13 Gen. 50. 24.

14 Plato in Phædone.

Restat insuper aliquid in examen revocandum, quo nempe loco memorabile illud excidium contigerit? Sub ipsis Jerosolymæ mœnibus in obsidione Urbis per Rabfacem, cùm scilicet Assyrii castra haberent in valle Josaphat & Tophet, sive Hinnon, ad Orientem & meridiem Urbis, sanior Judæorum & Interpretum Christianorum pars autumat. Favere videtur Isaias 30. 33. Preparata est ab heri Tophet, à Rege preparata, profunda, & dilatata. Ed etiam spectasse creditur Joel 3. 2. 12. Congregabo omnes gentes, & ducam eas in vallem Josaphat, & disceptabo eam eis ibi super populo meo, & hereditate mea Israel, quos disperferunt in nationibus. Confurgent & ascendant gentes in vallem Josaphat; quia ibi sedabo, ut iudicem omnes gentes in circuitu. Ferunt insuper, Judæos mane surgentes coronâ cadaverum Assyriorum cincta mœnia spectasse, latroque ad colligenda spolia cucurrisse.

Nobis tamen certa fiat sententia, nec Sennacherib, nec Rabfacem unquam ad obsidendam Jerosolymam successisse. Rabfaees quidem mandatis à Rege oneratus, ejus Urbis deditionem petiturus cum copiis nonnullis venerat; (*) rediit deinde mane alterius diei ad exercitum in Lachis. Comperito tamen, Sennacheribum solutâ obsidione ejus Urbis ad tentandam Lebnam transisse, ed ad Regem se contulit. Accidit interim, ut nuncius de Tharaca Rege Chus auxiliares copias ad Hebræos deducere veniret, cui Sennacherib occurren-

* 4. Reg. 18. 17. Misit Rex Assyriorum Tartan & Rabfacs, & Rabfacs cum valida manu Jerusalem.

dum statuit. Priùs tamen misit plenas factu literas ad Ezechiam, reduces se copias Jerosolymam deducturum, Urbem lege vidoris habiturum munitat. Eâ occasione Isaias Regi spondet, nunquam commissurum Sennacherib, ut Jerosolymam obsidione seu vallo cingat, nec hostilem quidem sagittam in illam projiciendam; nunquam recludendas scelestissimo hosti Urbis illius fores, sed verso itinere illum ad propria remeaturum. Eâdem nocte, i. e. tertiâ vel quarta die post reductas copias è Lebna in Tharacam, Angelus Domini descendens ultore gladio 185000. Assyriorum trucidavit (z); qua clade affectus Sennacherib, magnis itineribus Niniem contendit. In via igitur Aegypti, non juxta mœnia Urbis, memorabilis illa clades accidit.

Ambages omnes submovet Isaias 10. 24. 25. Noli timere populus meus habitator Sion, ab Assur: in virga percutiet te, & baculum suum levabit super te in via Aegypti. Adhuc enim paululum modicumque, & consummabitur indignatio, & furor meus super scelus eorum. Et suscitabit super eum Dominus exercituum flagellum, juxta plagam Madian in petra Oreb, & virgam suam super mare, & levabit eam in via Aegypti. Supra jam animadvertimus, hanc Assyriorum cladem comparari à Propheta cladi à Madianitis acceptæ, quos in mutuum cædem sævisse scimus, clangore 300. buccinarum militum Gedeonis, sicut subito incensarum lampadarum objectu, turbatos (†).

z Vide 4. Reg. 19. 8. 9. . . . 20. . . . 35.

† Judic. 7. 18.

DISSERTATIO

DE FORMA JESU CHRISTI

Eleganti, nec ne? Ad illud Isaïæ 52. 2. Vidimus eum, & non erat aspectus, neque decor.

Quia Christiani omnes erga SS. Jesu Christi Humanitatem tenemur, observantia, non sine modesta quadam circumspectione sermonem de illa nos habere permittit. Utrumque sanè vidimus, nec parum, sive extra modum aliquid dicatur, æquè in ea re invidiosum haberi; speramus tamen adè nos calamum in officio retenturos, ut nihil extra præscriptas à Religione metas excurrat. Solùm in Christo humanam naturam spectabimus, ejus corpus cum cæteris mortalibus elegantia præstantibus, vel secus, comparabimus; semper tamen illum è vulgari hominum segregaturi, utpote quem Divinæ naturæ dignitas humanæ hypostaticè junctâ privilegio faciat potiorum. Si quòd verò in præsentia obtendere velum

huic Divinæ naturæ videamur, id planè eo consilio præstabitur, quò certiorum obtutum in ejus humanitatem, remoto Divinitatis fulgore, figamus.

Quid sit potissimum venustatem constituens, licet inter varias, distitasque gentes non satis constet; eguè tamen omnibus sapor quidam pulchritudinis sentitur; ut quicumque pulchro censentur aspectu, ii sanè omnibus placeant: quid autem sit quod omnibus in ea re placet, neque ipse scirem, neque, si scirem, facile definirem. Sunt qui ament nigricantem oris colorem, sunt qui fuscum, sunt qui albicantem, sunt tandem qui album. Aliis grandior nasus placet, aliis aquilinus, aliis brevior, aliis simus. Oculos alii malunt subnigros, alii nigerrimos. Constat tamen inter omnes, virum proceriori, atque bene constituto corpore, vultu ad majestatem, &

& gratiam composito, ampliori oculo & vi vido, ore ad normam amplo, colore modoesto & delicato, toto tandem corporis gestu ingenuo, firma & robusta valetudine, hunc apud omnes aequè elegantem hominem haberi; sicut vicissim nemo est, qui male constructum hominem, iusto brevior, servili ore, & corporis habitudine, male firmo gressu, nec bene disposita membrorum oeconomia, austeriori & ingrato vultu, non sœdum & inelegantem appellet. Verùm inter hæc duo veluti extrema medium aliquid inter elegantem ingratumque hominis aspectum constituitur, quod sanè medium multi tenent, nec de elegantia se factantes, nec sanè turpes haberi patienter ferentes.

Quicumque pro elegantia aspectus Jesu Christi sententiam tulerunt, hi sanè nihil desideratum in illo contendunt ex his quæ gratiam hominis aspectui conciliant. Illum cæteris præstare hominibus pulchritudine Psalmista in Psal. 44. 3. disertè testatur: Speciosus forma præ filiis hominum. Felicissima sanè erat ejus corporis oeconomia, cum omnes absentes causæ, siue dum fœtus formaretur, siue dum in lucem veniret, siue tandem eum vitæ spatium conficeret, quæ corporis elegantia siue inducendæ officiant, siue inducæ jam nocent; nihil enim ad frugem sobriamque vitam habendam sibi reliquum fecerat. Frugi etiam probisque parentibus natus est; nulla fœturæ siue partus incommoda mater senserat; rectam ejus phantasiæ habitudinem turba-verat nihil: quæ utraque causa magni est ad eam rem momenti. Jesus Christus matrem habuit Virginem frugi, æquè modestam, ac puram, cuius phantasiæ serenum nulla à peccato originali inducta nubes offuscare potuerat. Multum sanè ad valetudinem rectamque corporis constitutionem, sicut & ad pulchritudinem nocent siue excessus hominum, siue morbi, siue sexcenta alia, quæ in hoc vitæ cursu adversa patimur. Omnia æquè aberant à Jesu Christo; quare nihil fuit, quin omnibus numeris speciosissimus esset.

S. Hieronymus in Matth. 9. ea de re scribens, ait: *Cerèd fulgor ipse, & majestas Divinitatis occulta, quæ etiam in humana facie relucebat, ex primo ad se videntes trahere poterat aspectu. Nitebat, ait idem in Matthæum 21. 12. 13. fulgor quidam celestis, & divina quadam in vultu majestas, quæ latentem Divinitatem prodebat. Qui enim potuisset aliter (a) Apostolos statim ad sui sequelam allicere, qui proster-nere solo aspectu milites in horto Olivarum, si nihil supra hominem in ejus vultu spectaretur? Rex Abgarus, auctore S. Joanne Damasceno de Orthod. fide lib. 4. cap. 17. (b) ad ejus effigiem pingendam virum misit, qui ejus vultus nitore attonitus percussusque, diu prohibitus est; donec Jesus volens pium Regem spe sua & religione frustrari, assumptæ telæ, & vultui admotæ ipse sui vultus imaginem impressit.*

Refert Nicephorus, S. Lucam pictas à se imagines Jesu Christi, SS. ejus Parentis, & Apostolorum reliquisse, ex quibus dein-

de per universum Orbem tanquam ex archetypis plures diffusas imagines derivatas. Ita verò Jesum Christum ipse depingit (c): *Porro effigies Domini nostri Jesu Christi, sicut à Veteribus accepimus, talis propemodum: Egregio is vidoque vultu fuit. Corporis statura ad spithamas profus septem (id est septem pedes 12. digitorum). Casariem habuit substavam, ac non admodum densam, leniter quodammodo ad crispas relinamem. Supercilia nigra non perinde inflexa. Ex oculis subflavescentibus mirifica promanabat gratia. Acres ii erant, & nasus longior. Barba capillus flavus, nec admodum demissus. Capitis porro capillos tulit proluxiores. Novacula enim in caput ejus non ascendit, neque manus aliqua hominis, præterquam Matris in tenera dumtaxat ætate. Collum fuit sensim declivus, ita ut non arduo & extento nimium corporis statu esset. Porro frumenti referens colorem, non rotundam, aut acutam habuit faciem, sed qualis matri ejus erat, paulum deorsum versus vergentem, ac modicè rubicundam. Gravitatem, atque prudentiam cum lenitate conjunctam, placibilitatemque iracundia expertem præferentem. Per similibus denique per omnia fuit immaculata sus Genitrici.*

Sanctus Bernardus ne dubius quidem summam Jesu Christo venustatem & gratiam asseruit, in tantum ut scriberet serm. 1. in Festis omnium SS. *Adhærebant ei (Urbes nempe & vici) affatu pariter & aspectu ipsius delectati. Cujus nimirum vox suavis, & facies decora. Verba ipsa descripsisse videtur ex S. Chryostomo in Ps. 44. qui detineri homines tradit, & veluti clavis Servatori affigi, potenter aded illos amor & gratia illius tenebat. Et in Matth. 7. hom. 28. habitu corporis fuisse dicit ad gratiam & amorem composito, ut ne aspici quidem & non amari potuisset. Et in Psalmum 44. verba Isaie, Vidimus eum & non erat aspectus, exponens ait: Non dicit de deformitate, absit, sed de ejus contemptione; quæcumque enim erant vitia, & contemnenda pervasit. S. Basilus de humana Christi generat. ad fin. docet, sensisse Magos ipsam pueri divinitatem, in præsepi jacentem intuitos; Magorum enim oculos perstrinxit fulgor puris oculis nunquam non spectatus.*

Aelredus Abbas Rivalensis, Ordinis Cisterciensis, Diœcesis Eboracensis in Anglia, duodecimi sæculi Scriptor, luculentum tradidit testimonium opinionis suo tempore receptæ de spectata Jesu Christi pulchritudine; ita enim habet Serm. seu Tract. de Jesu duodenni, Dom. infra Octavam Epiph. *Credo in illo speciosissimo vultu tantam gratia celestis elegantiam refulsisse, ut omnium in se converteret aspectum, auditum erigeret, excitaret affectum. Cerne, queso, quemadmodum à singulis trahitur. Senes osculantur, amplectuntur juvenes, pueri obsequuntur. Cum autem, prosequitur, unâ cum parentibus suis Jerosolymam veniret, esset autem in moribus positum apud Judæos, ut viri seorsum à mulieribus peregrinationem illam insituerent, quò religiosius mente*

c Niceph. 1. 2. c. 40.

a Idem Epiph. ad Principiam.

b Niceph. Hist. Eccl. lib. 2. cap. 7.

& corpore puro de cæremoniis & Sacrificio participarent; puer Jesus, nondum præ ætate Legis dispositioni subiectus, viris in discriminatim, & mulieribus adjungebatur. Omnes enim certatim blandum, elegantem, suavemque puerum secum habere, itineris fastidium levaturum, certabant. Accidit proinde, ut alter cum altero venire puerum reputantes, errandi causa utrique parenti traderetur, nec primâ die ejus absentia ab illis sentiretur.

S. Laurentius Justinianus primus Veneriarum Patriarcha, qui sæculo decimoquinto florebat, ita habet de hoc argumento, tract. de Casto Conubio: *Quis unquam illo pulchrior? Quis modestior? Quis rapien-tior? Ornatus in moribus, maturus in gressibus, in sermonibus facundus, in conversatione circumspectus, in redargutione severus, in exhortatione blandus, in colloquutione suavissimus, & in omni opere venerandus; aspectus illius venustate plenus, humilitate verecundus, suavitate refertus, & totâ elegantia decoratus; labia illius lilia distillantia, verba vite æterna emanantia, mel & lac erustantia. Illud quidem resonabat in ore, quod latebat in corde; ideo solabatur mœstos, infideles illustrabat, cunctosque ad se accedentes reddebat benevolos; sermonibus quoque suis audientium corda ad mundi animabat contemptum: ad virtutum profectum instruebat, maximè cum de Regno Dei loquebatur & de gaudiis Paradisi. Quis autem non langueret? Quis jucundo non inebriaretur amore, si videret Verbum ambulans, sapientiam loquentem, unigenitum Dei cum peccatoribus conversantem? Quamquam autem potissima ejus Auctoris cura versetur in dotibus spiritualibus Jesu Christi depingendis, subinde tamen plura tangit, quæ venustatem ipsius præ filiis hominum commendant. Accedit ad hæc omnia receptus in omnibus Ecclesiis mos ita pingendi Jesu Christi imaginem, ut ad venustatem & majestatem compositum vultum exhibeat, quod de recepta apud omnes persuasionem, tum de veteri ea de re traditione, non minimum est documentum.*

Neque enim ita reputandum est, quasi scilicet Veteres imagines Jesu Christi ad vivum expressas procurare sibi neglexerint. Scita sunt, quæ de Abgaro curante sibi depingi imaginem filii hominis leguntur. Mulier Hemorrhœissa ab incommodo morbi Jesu Christi beneficio sanata, receptæ ab eo sanitatis monumentum erigi statuat Servatoris curavit, quæ usque ad Julianum Apostatam stetit (d). Alexander Severus Imperator inter varias Numinum & Summorum Virorum Jesu Christi imaginem reposuit in Larario; nec sanè illam, sicut & alias in eodem loco, sine cultu negligebat (e). Mulier quædam Christiana, sed hæresis Carpocratianâ infecta, adjunctas habebat imagines Jesu Christi cum Homeri & Pythagoræ (f); & nostrâ etiam ætate spectatur Romæ imago Beatæ Virginis puerum Christum in ulnis gestantis, opus, uti ferunt, S. Lucæ. Non absudit igitur ad vero, si in Ecclesia ex veteri traditione

recepta credatur persuasio de spectatâ Jesu Christi formâ.

Porro si compositus ad majestatem, & auctoritatem vultus, si grata in verbis persuasio, partes reputandæ sunt pulchritudinis & perfectionis virilis; hæc Jesu Christo dotem, si alteri unquam, concedendam ne ambigimus quidem. Suppetunt enim ejus rei documenta in historia Evangelii, ubi de ejectione à Templo mercatoribus & negotiatoribus (g). Vix enim potuisset obstinatos pellere, nisi prius vultus majestate & nitore percussisset. Paria credere pronum est in eo, quod militibus ad capiendum Jesum Christum venientibus in horto Oliveti accidit, quos scilicet in-jecto verbo & majestate suâ terrore resupinos stravit (h). Verba ad populum habentem apprehendi, missis ad id viris, Judæi præceperant; nemo tamen ausus est manum in illum immittere, neminem unquam ita loquutum obtendentes.

Virum fuisse corporis habitudine despicabilem neque Julianus Apostata, neque Judæi siue Pagani, infestissimi illi Jesu Christi, & Religionis Christianæ adversarii, unquam exprobrarunt. Quamquam alioqui nihil omitterent, quo illi invidiam crearet; hunc adulterum accusantes (i); hunc virum rudem & nullo studio excultum, Magum, seductorem [k]; hunc mentis emotæ & abreptum à Dæmone (l); Pseudo-Propheetam, prodigiorum inanem jactatorem, voracem, ebriosum (m). Historias quasdam ad ejus ludibrium de vita, gestis, & obitu ipsius confinxerunt Judæi (n); quid non? Nunquam tamen alicui succurrit, ut deformitatem vultus, & neglectam corporis habitudinem exprobraret, quasi scilicet ejus calumnia ne levis quidem ansa obtrectatoribus suppeteret.

Hanc historiam circumstantiam, non contemnendam quidem, de inelegantia scilicet formæ Jesu Christi, utique non neglexerint Evangelistæ, Apostoli, ceterique historiæ Ecclesiasticæ Scriptores; apud quos ne desideramus quidem vestium S. Joannis Baptistæ formam; nihilque prætermisissimum de iis, quæ ad ortum ejus Sancti Viri, & Servatoris, sicut & ad mortem ejusdem Jesu Christi spectant: ibi de tunica incontextâ, de vestium divisione fortis arbitrio commissâ, de laboribus, de itineribus, de cibo, de somno; quæ sanè omnia scire lectoribus minus conducebat.

Si Jesus Christus invenustam formam præ se tulisset, siue id ejus electioni & potentia tanquam homini Deo deputaretur, siue naturali cuidam necessitati, tanquam homini à Virgine parente nato. Utrumque autem æquè abest à vero. S. Spiritus, quem Jesus Christus parentis loco habuit, non nisi perfectissimum fœtum compingere potuit; neque Jesus Christus tanquam homo potuit deformitatem eligere, quæ nihil ejus consiliis fuisset profutura, nocuisset autem aliquantum; potuit enim avertendis ab illo animis plurimum valere, quòd sanè fini à se præscripto & ab Æterno Patre præstituto repugnasset. Debuit labori & tormentis perferendis par esse; quæ

g Jo. 2. 14. 15.

h Jo. 18. 6.

i Tertull. de Spect. cap. 10. Hier. Ep. 1. ad Heliod. k Cyrill. 1. 5. to. 1. in Isai. Procop. in cap. 53. Isai. l Matth. 11. 18. Jo. 8. 24. Justin. Dial. cum Tryph. m Matth. 11. 14. n Vide Tolod. de Jesu & Baptiste, Hist. des Juifs. 1. 6. c. 27. 28.

d Theophylact. in Luc.

e Lampadius in Alexan.

f Iren. lib. 1. ubi de hæres. Carpocr. Epiph. hæres. Aug. de Hæres.